



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Vtrum ratio entis transcendat omnes rationes & differentias inferiorum entium, ita vt eis intime, & essentialiter includatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO V.

Utrum ratio entis transcendat omnes rationes & differentias inferiorum entium, ita ut in eis minime & essentialiter includatur.

I.
Entia completa, imo & incompleta in pluribus conceptibus resolutibilia, rationem entis participant.



Ecce quaestio difficultatem non habet in entibus completis, vel quae per modum completorum entium ab intellectu concipiuntur, ut sunt omnia individua, species & genera, quae directe in aliquo praedicamento constituuntur usque ad summa genera: nam in hoc diuiditur ens, & de illis essentialiter praedicatur & consequenter de omnibus aliis inferioribus, quae sub his continentur. Deinde non solum de completis entibus, & conceptibus, sed de quibuscunque partialibus, vel incompletis entibus, quae resolutibilia sunt in plures conceptus reales, est etiam indubitatum, in eis intime & essentialiter includi ens, quia, si sunt resolutibilia in plures conceptus reales: ergo, ut minimum, debent resolui in conceptum entis, qui est vniuersalissimus omnium. Item a fortiori hoc constabit ex dicendis.

II. His suppositis est opinio Scoti in 1. d. 3. q. 3. & d. 8. qu. 2. & in 2. d. 3. qu. 6. ens non includi in differentiis ultimis, neque in modis intrinsecis, quibus ad prima decem genera determinatur, neque in suis propriis passionibus, quae cum ipso conuertuntur, ut sunt vnum, verum, verbum, de quibus alibi ipse sentit, esse positivas, & reales proprietates, ut patet in 2. d. 3. q. 1. ad. arg. Quid autem Scotus intelligat per differentias ultimas, obscure satis ab eo explicatur: non enim vocat ultimam differentiam illam, quae constituit ultimam speciem, nam ibi expresse dicit rationale, vel rationalitatem non esse differentiam ultimam, si anima rationalis est in re ipsa diuersa a sensitua. Igitur differentiam ultimam appellat, quae sumitur ab ultima realitate formae, differentiam autem non ultimam, quae sumitur a tota forma, ut, si est (inquit) in homine vna anima, quae realiter est vegetatiua, sensitua & rationalis, in illa distinguuntur, diuersi gradus seu realitates formales & differentia, quae ab ultima realitate sumitur, dicitur ultima, non solum quia constituit ultimam speciem, sed quia se ipsa differt ab aliis, & non est resolutibilis in plures conceptus: si autem fingamus animam rationalem ut sic esse integram, & per se distinctam formam a sensitua, & omnibus superioribus, tunc, sicut talis forma est intrinsece & quidditative ens, ita differentia ab illa sumpta, est etiam intrinsece, & quidditative ens, & ideo eius conceptus non est simpliciter simplex, sed resolui potest in conceptum entis, & aliquem alium modum, quo determinetur conceptus entis ad esse talis differentiae, & ideo talis differentia non est ultima, quandoquidem per aliquid a se distinctum ab aliis differt.

III. Et hinc sumitur primum ac praecipuum fundamentum Scoti, nam vna differentia non est alia, ut per se notum est: ergo vel conuenit cum aliis in conceptu quidditative entis, vel non, si non conuenit: ergo non includit talem conceptum in sua quidditate & essentia, quod intendimus: si autem conuenit cum aliis in illo conceptu, necesse est quod per aliquid aliud differat: ergo vna differentia differet ab aliis per aliam differentiam. ergo illa differentia non erat ultima, quandoquidem in aliam ulteriorem resoluitur, & tunc ulterius eodem modo inquirendum erit de illa alia differentia, an includat conceptum quidditatum entis, in quo cum aliis conueniat, atque ita, vel procedemus in infinitum, vel sistendum erit in aliqua differentia ultima, quae ita per se differt

rat ab omnibus aliis rebus, vel conceptibus, ut neque in conspectu entis cum illis conueniat, & consequenter, intrinsece & quidditative rationem entis non includat: nam, si includeret, conueniret in ea cum aliis, si autem conueniret, indigeret alia differentia qua differret, iuxta doctrinam Aristot. 5. Metaphys. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. quod ea, quae inter se conueniunt, differentiis differunt. Atque haec ratio eodem modo applicari potest ad modos intrinsecos, quibus ens contrahitur ad prima decem genera: nam, cum vnumquodque illorum generum concipiatur per modum entis completi, certum est, quidditative includere rationem entis, in qua omnia illa genera conueniunt: ergo oportet, ut aliquibus modis seu differentiis differant: de illis ergo modis ulterius quaeritur an includant ens: nam, si non includunt, hoc intendimus, si vero includunt, quaerendum est per quid differant ab aliis, & quomodo ad illos modos contrahatur ens, & ita, vel procedetur in infinitum, vel sistendum erit in aliqua differentia seu modo, qui non includat ens: ergo, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sistendum erit in primo illo modo, quo contrahitur ens ad substantiam, quantitatem, &c.

Atque hoc maxime confirmat secunda ratio Scoti sumpta ex proportionem inter Metaphysicam & Physicam compositionem: vtraque enim fit ex potentia & actu, seu (ut Scotus loquitur) ex determinabili, & determinante: sed in compositione Physica resolutio ultima fit ad ultimam potentiam determinabilem, quae in sua entitate nihil includat formae seu actus determinantis, & ad ultimam formam seu actum determinantem, quae nihil includat potentiae determinabilis: ergo similiter in compositione Metaphysica omnium entium resolutio facienda est in ultimos conceptus determinabilem & determinantem, quorum vnus alium non includat, nec e conuerso, sed omnis haec resolutio ex parte conceptuum determinabilium fit ultime in conceptum entis, in quo ut sic actu non includitur aliquis modus, seu differentia determinans: ergo etiam ex parte conceptus determinantis debet correspondere aliquis modus, vel differentia, quae nullo modo includat conceptum entis determinabilem. Denique de passionibus entis plures rationes multiplicat Scotus, quas nunc omitto, quia de ijs passionibus dicendum est ex professo disputatione sequente.

Opinio Scoti confutatur.

Hanc opinionem Scoti merito impugnant Thomistae, quamuis nonnulli eorum interdum illi faueant, ut infra notabo. Et primo quidem illa distinctio differentiae ultimae & non ultimae, ut ab Scoto proponitur & explicatur, & supponit falsum fundamentum, & insufficiens est. Primum patet, quia reuera nulla est differentia, quae ex tota forma Physica sumatur. Primo quidem, quia iuxta veriorē sententiam in composito substantiali non est nisi vna forma, & tamen omne compositum substantiale habet aliquam conuenientiam cum aliis compositis, & cum omnibus substantiis creatis, & consequenter ab illius forma, ut habet conuenientiam cum aliis sumitur aliqua differentia non ultima: ergo nulla differentia sumitur a tota forma, sed ultima sumitur ab ultimo gradu, seu realitate eius, ut ipse Scotus loquitur. Quae ratio procedit de substantiis compositis, sed euidentior est in simplicibus, seu immaterialibus creatis, quae genere, & differentia constant, quia in eis non est nisi vna simplex natura, Physice loquendo, a qua sumuntur differentiae non ultimae, & ultimae secundum diuersos gradus seu conceptus eius. Et eodem modo procedit ratio in formis accidentalibus, nam ab vna & eadem forma secundum rem v.g. albedine sumitur differentia non ultima coloris,

Differentia ultima & non ultima explicatio Scotica impugnat.

coloris, & vltima albedinis. Deinde, etiam si daremus in composito substantiali esse plures formas, nulla esset differentia sumpta à tota aliqua forma. Finge enim animam rationabilem in homine esse distinctam à sensitiua, &c. adhuc rationale non esset differentia sumpta à tota forma. Probatur, quia secundum illam formam homo haberet conuenientiam cum angelis in intellectualitate: ergo ab illa forma sumeretur alia differentia prior: ergo differentia rationalitatis, prout est propria hominis, adhuc in eo casu non sumeretur ex tota forma, sed ex vltimo gradu eius: imo inter eam formam & alias necessariò esset conuenientia, vel in communi ratione formæ substantialis, vel in ratione animæ, & principij vitæ respectu aliarum animarum realiter distinctarum: ergo secundum has omnes rationes possent ab illa sumi differentia non vltima: ergo nulla esset differentia, quæ sumeretur à tota forma: propter similes enim rationes in formis accidentalibus nulla esse potest, à quo tota aliqua differentia vnica sumatur, vt Scotus fatetur.

VI.

Vnde vltius ostendi potest insufficientem esse Scoti diuisionem. Omnia enim differentia, quæ sumi dicitur à tota forma, quæ reuera nulla est, vt ostendi: Scotus ipse fatetur, dari differentiam vltimam, quæ sumitur ab vltima realitate formæ: ergo necesse est, vt admittat aliud differentiarum genus, quæ neque à tota forma, neque ab vltima realitate eius, sed à forma secundum aliquam communem, seu superiorem realitatem sumatur, vt erit differentia sensitiui in homine, si in eo anima sensitiua non est realiter à rationali distincta, vel sicut differentia coloris in albedine. Talis ergo differentia, neque est vltima, vt per se constat, neque est non vltima, iuxta Scoti declarationem, quia non sumitur à tota forma, sed solum à quodam gradu realitatis eius: ergo insufficienter ab Scoto numerantur huiusmodi differentia. Et quærendum restat, an iuxta illius opinionem hæc differentia, quæ nec sumuntur à tota forma, nec sunt vltima, includant intrinsece & quidditatiue ens, necne. Nam si illæ non includunt ens, sequitur, nullas omnino esse differentias reales, quæ ens includant, quod & ipse negat, & per se est satis absurdum: quia, si nulla differentia est ens, nullæ sunt in rebus differentia reales, & consequenter nec per eas constituuntur essentia reales, neque essentialiter distinguuntur. Si autem illæ differentia includunt ens: ergo idem dicendum est de vltimis differentijs, etiam si non sumantur à tota forma, sed vt vltimo gradu eius. Probatur hæc consequentia, primo, quia hæc differentia subalternæ, verbi gratia, sensibile, non sumuntur à tota forma, sed à quodam gradu reali eius, & hoc satis est, vt includant ens: ergo multo magis id sufficit, vt vltima differentia includant ens. Patet consequentia, quia talis differentia sumitur à perfectiori gradu illius formæ, vt verbi gratia, sensibile, & rationale, supposita vera sententia de vnitatem animæ in homine, sunt differentia, quarum neutra sumitur à tota forma, & sensibile sumitur ab illa secundum gradum superiorem minusque perfectum, tamen, quia forma etiam secundum illum præcisum gradum considerata, realis est, verumque ens, ideo differentia illa ens intrinsece & essentialiter includit: rationale autem sumitur ab eadem forma secundum inferiorem gradum realem, magisque perfectum, & forma à qua sumitur, etiam secundum illam considerationem est realis verumque ens: ergo multo maiori ratione talis differentia includit intime & essentialiter ens. Præterea nulla est maior ratio de vna, quam de alia, nam tam simplex est conceptus differentia sensibilis, sicut conceptus differentia rationalis, neuter enim alterum includit formaliter, neque à contrario. Quod sic declaro, nam vt ipse Scotus indicat, hæc differentia *rationalis* proprie non

Differentia
etiam in-
fima.

differt ab alijs per aliam differentiam, sed per se ipsam, quia, dum ipsa est quod aliud differt, simul etiam est se ipsa differens, ne in infinitum procedamus, ipsamque differentiam speciem faciamus, vt pote ex genere & alia differentia constantem: sed totum hoc eodem modo procedit in differentia superiori, scilicet *sensibile*, quia etiam illa non constat alia differentia, neque est species, sed se ipsa differt ab alia sibi opposita, quatenus diuidit, & contrahit superius genus, & constituit suam propriam subalternam speciem: est ergo eadem ratio vtriusque differentia, & idem est de omnibus superioribus. Quod si dicas huiusmodi differentias subalternas esse determinabiles per differentias vltimas, hoc in primis nil refert, vt illæ potius, quam hæc ens includant, imo iuxta discursum Scoti supra factum potius sequitur has differentias, prout determinabiles sunt per inferiores, non includere illas, & quatenus determinant superiores, etiam non posse ipsas superiores includere & consequenter esse tam simplices, quam tum esse possunt differentia vltima. Et præterea etiam differentia vltima, maxime secundum opinionem Scoti, sunt determinabiles per differentias indiuiduales, ergo etiam in hoc est eadem ratio de illis.

Vnde videtur tandem sequi, consequenter loquendo iuxta opinionem Scoti, solas differentias indiuiduales debere dici vltimas, nam illæ solæ sumuntur ex vltima realitate formæ, & per alias nullo modo differunt, neque vt per differentias constituentes (quod commune est omnibus differentijs, vt dictum est) neque vt per differentias contrahentes ad inferiora, quia illas non habent, quod est proprium harum differentiarum indiuidualium. Sed neq; Scotus in hoc sensu est locutus de differentijs vltimis, vt patet ex locis citatis, & ex his, quæ adduximus, neque de illis dici potest, quod ens non includant, propter alias rationes supra tactas, scilicet, quia etiam hæc sumuntur à materia vel forma secundum veram realitatem earum. Item, quia conceptus differentia indiuidualis in se non est simplicior, quam conceptus differentia specificæ, vel genericæ, etiam si non sit ita communis, vel contrahibilis: hoc enim nil referre ad simplicitatem conceptus: nam potius superiora, & vniuersaliaiora solent esse simpliciora. Et præterea rationes, quas de modis intrinsecis faciemus, de his etiam differentijs indiuidualibus probabunt, nam, vt ostendam, eadem est seu proportionalis earum ratio.

Iam igitur de modis intrinsecis falsa etiam ostenditur opinio Scoti. Primo, quia, vel illi modi sunt positivi & reales, vel non. Hoc secundum neque ab Scoto dicitur, neque est verum, vt contra aliquos ostendam sectione sequenti: quomodo enim possent constituere varias rerum essentias, & essentielle discrimen inter illas, si non essent reales modi, & positivi? Si autem huiusmodi sunt, quomodo mente concipi potest, eos non includere intrinsece & essentialiter ens? Nam vt præcedente sect. ostendimus, ens intrinsece est, quod habet veram & realem essentiam, aut ergo hi modi habent aliquam realem essentiam, & ita intrinsece & essentialiter sunt ens: vel nullam habent, & sic nec possunt essentiam realem constituere, neque aliquid reale addere ad contrahendum superiorem conceptum, & constituendam determinatam essentiam, & distinguendam illam ab alijs. Et confirmatur, nam si hi modi non sunt ens: ergo nihil sunt: ergo nihil conferre possunt ad essentias reales constituendas. Respondent aliqui, hos modos non esse ens vt quod, tamen esse ens vt quo, seu aliquid entis, & inde neque esse simpliciter, & vniuocè ens, vt Scotus loquitur, neque omnino nihil. Sed hæc responsio solum videtur in verbis consistere, quoniam esse ens vt quo nihil aliud est, quam esse formam seu actum realem in Metaphy-

VII.
Item diff-
rentia indi-
uiduale.

VIII.

Modi in-
trinseci en-
tis rationem
entis imbi-
bant.

fica

fica constitutione seu compositione: nulla autem potest esse forma, vel actus realis alicuius nisi in se fit aliquid reale, quod est esse in se ens reale: ergo repugnat dicere aliquid esse reale quo, & non ens ut quod, nam illud quo in huiusmodi quod necessario fundari debet. Quod in omni compositione Physica inductione ostendi potest: est autem eadem ratio in Metaphysica compositione; quia etiam in illa potentia & actus concipiuntur ut constituenta integram realitatem, seu essentiam: unde in se etiam considerata necessario concipi debent ut habentia aliquid realitatis seu essentiae saltem partialis: alias non possent concipi ut apta ad constituendum & complendum essentiam realem: & hæc ratio applicari potest ad omnes differentias tam ultimas quam non ultimas, genericas, específicas, & in diuiduales.

Secundo possunt è contrario hic applicari rationes factæ de differentiis, præsertim illa, quod differentia non ultima, id est subalterna, ideo includit ens, quia sumitur à forma secundum aliquem gradum realitatis eius, sed etiam hi modi intrinseci sumuntur à forma, vel natura secundum aliquem gradum realitatis eius: ergo etiam includit ens. Minor declaratur, nam in substantia modus per se sumitur ex realitate cuiuscunque naturæ substantialis, quatenus cum aliis conuenit in aptitudine subsistendi, & ita in substantiis immaterialibus ille modus sumitur ex tota forma simplici secundum eam præcisam rationem, in materialibus vero ex tota forma Metaphysica, seu natura integra, & consequenter ex materia, quatenus ex parte sua cõfert ad subsistendum: & ex forma, quatenus absolute constituit substantialem naturam. Tenet ergo prima consequentia à paritate rationis, & quia, sicut hic modus intrinsecus à mediate determinans ens concipitur ut quid simplex, se ipso & non per alium modum differens ab aliis, ita etiam differentia tam subalterna quam ultima, ut declaratum est.

Tertio, quia, si conceptus substantiæ resoluitur in conceptum entis, & conceptum modi omnino distincti ab ente, & contrahentem, & non includentem ipsum, nil deesse potest huic modo, quo minus vera differentia sit, neque enti quominus genus sit, præsertim, cum Scotus supponat, ens esse vniuersum. Sequela quoad priorem partem probatur, quia de ratione differentie nihil aliud est, nisi quod essentialiter contrahat superius prædictum vniuersum, & quidditatum, non includendo ipsum, & cum illo constituendo gradum essentialem aliquem per modum formæ eius, ex quo habet, quod prædicetur (ut autem) in quali quid, & consequenter quod faciat differre ab aliis: hæc autem omnia conueniunt modis contrahentibus ens iuxta doctrinam Scoti. Quoad alteram vero partem probatur sequela, quia de ratione generis solū est, quod sit prædicatum vniuersum, & quidditatum seu in quid non exprimens totam quidditatem usque ad ultimum gradum propter quod dici solet prædicari in quid incomplete) & quod sit aptum contrahi & determinari per differentias essentialiter distinctas ex quo habet, quod de pluribus essentialiter differentibus prædicetur, sed hoc totum conuenit enti iuxta principia Scoti. Unde è contrario Arist. 3. Metaphys. tex. 10. inde probat, ens non posse esse genus, quia in omnibus differentiis & modis, quibus contrahitur, essentialiter includitur, quod repugnat generi, ut idem Aristot. probat. 6. Topic. cap. 3. Respondet Scotus, ens non esse genus, quia licet non in omnibus, saltem in aliquibus differentiis includitur, scilicet in differentiis non ultimis, quæ sumuntur à tota forma. Sed hoc in primis ostensum est supponere falsum, quia nullæ sunt differentie, quæ sumantur à tota forma in sensu ab Scoto intento, id est, quæ sumantur à tota forma totaliter (ut sic dicam) & non secundum aliquem præcisum gradum.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

dum seu conceptum. Et deinde non sufficit, nam quid refert, quod ens includatur in quibusdam ultimis & remotis differentiis, ut non sit ens respectu substantiæ, & accidentis, in quæ proxime & vniuerso diuiditur per differentias proprias, & extra sui rationem? Imo è contrario iuxta Scoti sententiam inferendum esset illas differentias non ultimas, ro- ut ab ipso singuntur, non esse proprias differentias, sed quasdam species entis: nam res solubiles sunt conceptum entis quidditatum, & vniuersum, & in aliquam differentiam ultimam, quæ non includat ens: nihil ergo ibi deerit ad constitutionem & compositionem speciei.

Quarto hi modi intrinseci sunt inæquales in perfectione entitativa: ergo sunt entia. Antecedens patet, quia substantia est perfectior accidentibus, & non ratione eius, in quo conueniunt, ergo ratione eius in quo differunt: ergo ratione sui proprii modi intrinseci. Quod etiam per se notum est, ideo enim substantia perfectior est, quia est per se, accidens vero in alio: ergo ipse modus per se essendi perfectior est modo existendi in alio, ergo uterque habet aliquam perfectionem: ergo entitatem, nam perfectio sine entitate reali concipi non potest: aut enim sunt idem, aut perfectio supponit entitatem, & est proprietas eius. Unde nouum argumentum, vel confirmatio confici potest: nam in his modis (& idem est de omnibus differentiis) reperiuntur passionibus entis, sunt enim aliquid: nec enim sunt nihil: & vnum, nam vnusquisque modus est in se diuisus, & distinctus à quolibet alio: & bonum, quia habent suam definitam perfectionem, & appetibilitatem: & verum, quia non sunt conficti, & per se intelligibiles sunt. Tandem modus quo constituitur substantia, aliquo modo substantia esse debet: nam ut dixit Arist. 1. Physic. 6. substantia non constituitur ex non substantiis, & idem proportionaliter est de modo accidentis, sed quod est substantia, est etiam ens: ergo.

Hinc verò sumere potest aliquis occasionem ad explicandam sententiam Scoti, vel certè nouam aliam introducendam. Differentia enim seu modus constituit substantiam, non est substantia completa, sed incompleta: hac enim ratione substantia, quæ est generalissimum prædicamentum substantiæ, habere potest differentias, in quibus non includatur, quia genus illud tantum est substantia completa, differentia autem est solum incompleta substantia: ad hunc ergo modum dici potest ens, quod determinatur ad esse substantiæ, quantitatis, & aliorum, quæ in rectis lineis prædicamentorum ponuntur, solum esse ens completum, & ideo non includi in modis intrinsecis quibus determinatur, imò neque in differentiis, quæ etiam sunt incompleta entia, & in hoc sensu omnes rationes factæ non procedunt contra hanc sententiam, quia non negatur, differentias & modos esse aliquo modo entia, sed solum esse entia completa, quod nullam habet absurditatem.

Sed hæc expositio neque est ad mentem Scoti, neque in se vera est. Primum patet, quia Scotus specialiter negat, ens includi differentiis ultimis, in non ultimis autem concedit includi: non loquitur ergo de ente completo, quia hoc modo nulla differentia est completum ens. Deinde Scotus loquitur de vniuersalissimo conceptu entis realis, quem mens nostra potest abstrahere, ut manifeste constat ex citatis locis: ens autem completum prædicto modo explicatum non est vniuersalissimus conceptus entis: nam, cum entia incompleta aliquid entitatis habeant, conuenientiam aliquam realem habent cum entibus completis: ergo concipi potest ratio entis vniuersalior, quæ secundum rationem ab his præscindat. Quod autem illa sententia in se falsa sit, tribus rationibus ostenditur. Prima est tantum ad hominem, supposita sententia Scoti, quod ens sit vniuersum: tunc enim euidentius sequitur iuxta prædictam interpretationem, ens

XI.

XII.

XIII.

Aliena ab
Scoti mente
& falso
sensus.

F

comple-

X.
Ens esse ge-
nus, & mo-
dum entis
veram diffe-
rentiam in-
ferunt ex
Scoti opinio-
ne

Responso
Scoti ad illa-
rum incon-
ueniens re-
solvitur.

completum essentium genus commune ad decem prædicamenta, et habet differentias reales extra sui rationem, & alia alia requisita ad rationem generis, ut patet explicando rationem supra factam.

XIV.

Secunda ratio est, quia ens communissimè sumptum, ut transcendens, & obiectum Metaphysicæ, vel intellectus, abstrahit à completo & incompleto, in hæc omnia, ut ex modo significandi patet, habent per additionem ad ens in quantum ens ordine ad præcisionem vel expressionem non est conceptum. Et saltem dubium non est, an possit ens in hac generalitate significari & concipi, ut paulo antea dicebam: sic autem nunc nos loquimur de ente, quia ut sic est obiectum Metaphysicæ: ergo huiusmodi ens intrinsecè includitur in differentis & modis intrinsecis. Quod si fortasse auctores prædictæ sententiæ dicant, se non loqui de huiusmodi ente, sed de ente còpleto, in primis non loquitur ad rem, de qua nunc agimus. Deinde non effugiunt difficultatem, quæ in tota hac sententia præcipuè declarari intenditur, scilicet, quomodo ens ad inferiora descendat: nam, licet dicant, ens completum contrahi ad substantiam per quendam modum, qui nec est ens completum nec omnino nihil, sed incompletum ens, restat illis explicandum, quomodo & per quid ens communissimum determinetur ad esse entis completi vel incompleti. Nam de eo, quod addit ens completum supra ens, inquiram, an includat ens communissimè sumptum: nam, si non includit, erit nihil, & procedent omnia argumenta facta, si autem includit: ergo differentia seu modus contrahens vel diuidens, includit ipsummet diuisum. Vnde de illo modo restabit inquirendum, per quid distinguatur ab ipso ente in communi quod in se includit, & per quid differat ab aliis entibus, & ita incidet hæc explicatio in difficultates, quas Scotus vitare intendit.

XV.

Tertia ratio & maximè propria est, quia ille conceptus entis completi còmunis decem prædicamentis, prout in rectis lineis constituuntur, & non aliis rebus, est impossibilis, quia perfectiora entia sunt incompletæ substantiæ, quæ non ponuntur directè in prædicamento substantiæ, quam accidentia, quæ ponuntur directè in prædicamento accidentis. Quod patet, siue consideremus physice substantias incompletas, siue Metaphysicè, nam materia prima perfectior est, magisque habet de entitate, quam quantitas, & forma substantialis magis, quam qualitas. Similiter rationalitas, prout est differentia substantialis, perfectius quid est, quam quodlibet accidens: ergo ens prout est commune ad substantiam, & accidentia, multo magis commune est ad substantias incompletas, & consequenter ad omne id, quod quacumque ratione entitatem includit: nam hæc sola convenientia considerari potest inter substantiam & accidens. Vnde conceptus ille entis completi, si sit conceptus entis, quod sit per se vnum, tantum esse potest conceptus substantiæ.

Quæstionis resolutio.

XVI.

Dicendum est ergo, ens, in quantum ens, intrinsecè includi in omni ente, & in omni conceptu positivæ differentiæ, aut modi entis realis. Ita docet D. Thom. 1. cont. Gent. 25. & quæst. 31. de verit. art. 1. & indicat quodlib. 2. art. 3. & 1. part. quæst. 3. artic. 4. quæst. 4. art. 3. ad 1. quæst. 5. art. 1. & docent Thomistæ, Caiet. de ente & essentia cap. 1. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 14. Soto in Antepred. c. 4. Idem tenet Fonssec. c. 4. Metaph. q. 4. c. 2. q. 3. & sumitur ex Arist. 3. Metaphys. tex. 10. quæ supra citavi. Et suppositis iis, quæ còtra Scotum dicta sunt, sufficienter probatur inductione, qui, si loquamur physice de reb. ratio entis includitur in omnib. substantiis, & in omnib. partibus

earum, & in omnibus accidentibus, & in omnibus modis positivis realibus: nam omnia hæc habent aliquo modo essentiam veram, id est, non fictam, nec imaginariam, sed realem, aptam ad existendum extra nihil. Si autem Metaphysicè res considerentur, ens includitur in omnibus generibus, & speciebus, & indiuiduis absque controuersia, & ostensum à nobis est includi etiam in differentis, & in modis positivis intrinsecis, sed præter hæc nihil est in rebus.

Dices passionem entis esse præter hæc omnia, de quibus nihil dictum est. Respondetur: De his passionibus in controuersia positum est, an formaliter dicant aliquid positivum ex natura rei distinctum ab ente, vel solum negatiuum, aut ens rationis. Si hoc ergo posterius verum est, consequenter dicendum est, passionem illas formaliter non includere ens, neque hoc esse contra conclusionem, quia illæ passionem formaliter non dicunt differentias, aut modos reales determinantes, aut efficietes ens. Si autem prior sententia vera est, consequenter asserendum est, has passiones in formali conceptu suo includere ens propter easdem rationes supra adductas, & contineri has passiones sub enumeratione facta, quia dicunt modos reales entis illi adæquatos seu conuertibiles cum ipso: quæ autem harum opinionum verior sit, sequente disputatione tractabitur. Ratio autem aprior conclusionis iam etiam tacta est, & sumitur ex ratione entis supra explicata, quæ est habere essentiam realem, in quo non includitur, quod illa essentia sit perfecta, vel imperfecta, integra, vel partialis, sed solum quod realis sit: hoc autem necesse est includi in omnibus rebus, & modis, seu differentis realibus. A posteriori autem generalis etiã ratio est, quia in his omnib. reperitur semper aliquis effectus, seu quasi effectus realis, quod non potest intelligi sine inclusione alicuius entitatis: nam constituunt, complent, aut integrant, ac distinguunt ens reale, ad eundem ut etiã ille modus, quo nostro more intelligendi determinatur ens in communi ad Deum seu ens increatum, concipiatur tanquam constituens tale ens: vnde non potest concipi nisi sub ratione alicuius entitatis. Item huiusmodi differentia, vel modi solent esse radices proprietatum, vel actionum realium: ergo.

XVII.
Obiectioni
respondetur.

Ad primum Scoti fundamentum respondetur, vnam differentiam quantumvis ultimam posse esse diuersam ab alia, etiam si cum illa in còmuni entis ratione conueniat, sicut de primis generib. generalissimis omnes docent, quæ propterea non propriè differre, sed primò diuersa esse dicuntur, quia alias non essent suprema genera, sed sub alio superiori contenta, præsertim posita vniuocatione entis, quam Scotus ponit: quo modo autem hoc intelligendum sit, in sequente sectione declarabitur. Ad secundum respondetur in primo non esse necessariam illam proportionem inter compositionem physicam, & Metaphysicam, alioqui, sicut de omni forma verum est nihil includere materiam, & de materia, nullam includere formam, ita de omni genere seu conceptu determinabili verificandum esset, quod nullam includat differentiam, & e còtrario de omni differentia, quod non includat ens quod est primum determinabile. Secundo dicitur, illam proportionem seruari posse inter compositionem Metaphysicam, & Physicam, quamdiu in eis sistitur, & tenet in hoc, quod nec genus differentia, nec differentia genus includit, sicut nec materia formam, nec forma materiam: si autem resoluendo Metaphysicam compositionem peruenitur ad simplices conceptus non còpositos ex genere & differentia, iam in illis respectu prædicatorum superiorum transcendentium, non oportet seruari prædictam proportionem, quia in eis iam non reperitur ille determinationis modus, sed alius iam explicandus.

XVIII.